

## FABELLAE LATINAE. CAP. XXXIII

### Marītus ēbrius (cap. I–XXXIII)

Tryphō est tabernārius Rōmānus quī nōn solum librōs, sed etiam tabulās, chartam, stilōs, calamōs, cētera vēndit. Nec magnum lucrum facit, quia paucī sunt hominēs quī litterīs student ac pecūniam habent ad librōs emendōs.

Hodiē autem quīdam vir doctus sex librōs pretiōsōs ab eō ēmit. Itaque Tryphō, quī gaudet sē bonum lucrum fēcisse, postquam vesperī tabernam suam clausit, nōn statim ad uxōrem et līberōs suōs ascendit, ut solet, sed tabernam petit, ubi bonus cibus coquitur. Postquam cocum salūtāvit, cōnsīdit et carnem porcī cum holeribus atque vīnum aquamque sibi apportārī iubet. “Nōlī vērō” cocō inquit “nimium salis carnī addere!” “Nē timueris!” respondet cocus, “Negōtium meum bene sciō!” Minister vīnum et aquam apportat, neque enim Tryphō vīnum merum bibit, sed aquam vīnō miscet. Brevī cibus ā ministrō in mēnsā pōnitur.

Dum Tryphō vīnum et cibum gustat atque optimum cocum laudat, duo eius amīcī adulēscentēs tabernam intrant et Tryphōnem salūtant. Quōs Tryphō ad mēnsam suam recipit. Illī statim vīnum merum cum melle ā ministrō petunt. “Mihi placet vīnum dulce, nōn acerbum” ait alter ex amīcīs, et vīnō mel miscet. Tryphō autem, ut solet, aquam suō vīnō miscēre vult, cum alter amīcus “Nōlī” inquit “bonum vīnum cum aquā miscēre, Tryphō! Quīn vīnum merum bibis nōbīscum?”

Iam nōn modo adulēscentēs, sed etiam Tryphō merum pōtat. Omnēs pōcula exhauriunt. Tryphō, quī paulum bibere solet, pōculum suum vacuum in mēnsā pōnit et “Iam necesse est” inquit “mē redīre, nam domī uxor mē exspectat.” Surgere vult, sed alter ex adulēscentibus “Itane uxōrem tuam verēris?” inquit, “Nē oblītus sīs nōs amīcōs esse tuōs! Num nōbīs alterum pōculum negāre vīs? Cum amīcīs pōtāre oportet!”

Tryphō igitur alterum vīnī pōculum postulat, atque minister iterum merum in pōcula eōrum fundit. Hīc, pōculum tollēns, adulēscentēs exclāmat: “Bibāmus igitur et gaudeāmus! Nunc est bibendum!” et pōculum suum exhaurit. Tryphō, quī amīcīs largus vidērī cupit, alterum atque alterum pōculum vīnī rogat. Ita cum amīcīs suīs tot pōcula merī pōtat ut vix sōlus ambulāre possit. Amīcī vērō, etsī ipsī male ambulānt, eum sustinēre cōnantur dum incertīs gradibus domum redit.

Domī Tryphō uxōrem suam, quae marītum impatienter exspectat, timidē salūtāt neque eam ōsculātur, sed statim lectum petit. Uxor vērō, cum marītum suum ēbrium esse sentiat, īrāta ab eō quaerit ‘cūr tantum vīnī pōtāverit?’ baculumque sūmit, ut eum verberet. Tryphō eam rogat ut sibi ignōscat, et sē excūsāre cōnātur: “Ignōsce m-mihi, mea cārissima uxor! Ipse p-paulum vīnī b-bibere soleō ac semper aquam vīnō m-misceō, sed hodiē amīcī m-meī mihi persuāsērunt ut m-merum biberem...” Ad haec uxor “Ain’ tū vērō? Amīcī tibi persuādēt ut in tabernā merum bibās” inquit, “dum ego domī aquam bibere dēbeō! Vīnum cārissimum largīris amīcīs nēquissimīs, at mihi, tuae uxōrī ‘cāris-

simae', vix satis pecūniae dās ad lac emendum liberīs nostrīs! Nōnne tē pudet ita uxōrem et liberōs neglegere?"

Tryphō nihil ad haec respondet, nam iam dormit. Uxor irāta virum suum stertere audit: "Zzzz-ārrch! Zzzz-ārrch!..."

### **Androclus et leō** (cap. I-XXXIII)

In amphitheātrō magna pugna hominum et bēstiārum populō dabātur. Multae ibi saevae ferae erant, sed praeter aliās omnēs ūnus leō ingēns ac terribilis animōs oculōsque omnium in sēsē converterat. Inter cēterōs hominēs ad pugnam bēstiārum datōs erat servus virī nōbilis; eī servō Androclus nōmen fuit. Hunc cum primum procul vīdit ille leō, repente quasi admīrāns cōnsistit ac deinde quiētē ad hominem tamquam sibi nōtum accēdit. Tum caudam mōre canum clēmenter movet hominisque sē corporī adiungit crūraque eius et manūs osculātur! Homō Androclus, quī prope iam mortuus erat metū, oculōs ad intuendum leōnem refert. Tum quasi sē recognōscentēs populus laetōs et grātōs vīdit hominem et leōnem!

Eā rē tam mīrābilī māximī clāmōrēs populī excitātī sunt, atque Androclus ab ipsō Tiberiō Caesare interrogātus est 'quam ob causam illī ūnī ferōcissimus leō parceret?' Ibi Androclus rem mīrābilem nārrāvit:

"Cum prōvinciae Āfricae meus dominus praeesset, ego ibi iniūstīs eius verberibus ad fugam sum coāctus, et, ut tūtus essem ā dominō sevērissimō, in campōs dēsertōs discessī, ubi sī deesset cibus cōnsilium fuit mortem aliquō modō quaerere. Tum merīdiē umbram petēns in quendam specum intrāvī ibique latuī. Neque multō post ad eundem specum vēnit hic leō, alterō pede vulnerātō et cruentō, ob dolōrem miserē fremēns. Prīmō cōnspectū advenientis leōnis perterritus sum, sed postquam leō in specum sicut domum suam intrāvit et vīdit mē ibi latentem, clēmēns ad mē accessit et sublātum pedem mihi ostendit quasi auxilium petēns. Tum ego spīnam ingentem ex pede eius dētrāxī et cruōre dētersō vulnus dīligenter cūrāvī. Leō meā operā sānātus, pede in manibus meīs positō, quiēvit, atque ex eō diē trēs annōs ego et leō in eōdem specū atque eōdem cibō vīximus; nam leō eārum bēstiārum quās occīderat optimam carnem mihi afferēbat. Sed cum iam satis habērem inter ferās vīvere, leōne absentī reliquī specum et, cum trēs diēs errāvissen, ā mīlitibus vīsus captusque sum et ad dominum ex Āfricā Rōmam ductus. Is mē statim ad bēstiās darī iussit. Intellegō autem hunc quoque leōnem tunc in Āfricā captum esse atque grātiam mihi nunc prō beneficiō referre."

specus -ūs *m*

spīna -ae *f*

Haec cum Androclus nārrāvisset, cūctīs petentibus dīmissus est et poenā solūtus leōque illī dōnātus. Postea Rōmānī vidēbant Androclum et leōnem, catēnā tenuī vīnctum, per urbem tōtam circum tabernās ire, et dīcēbant: "Hic est leō hospes hominis, hic est homō medicus leōnis."

## Plīnius dē morte avunculi (cap. I–XXXIII)

Tacitus, vir doctissimus quī multōs librōs de rēbus gestīs Rōmānōrum scrīpsit, ā C. Plīniō amīcō suō petīvit, ut sibi epistolam scrīberet dē avunculi suī exitū. Namque avunculus C. Plīniī, vir doctissimus, eō diē mortuus erat quō ignibus ē monte Vesuviō ēruptīs multa Campāniae oppida, in iīs Pompēiī, Herculāneum, Stabiae, perditā sunt.

exitus (ē vītā) = mors

Pompēiī -ōrum *m, pl*  
Stabiae -ārum *f, pl*

Plīnius Tacitō interrogantī hanc ferē epistolam scrīpsit:

“Avunculus meus erat Mīsēnī, ubi classī Rōmānae praeerat. Ante diem nōnum calendās Septembrēs, hōrā ferē septimā, māter mea nūntiāvit eī ‘appārere nūbem māximam mīrā fōrmā.’ Ille cibum gustāverat iacēns, et litterīs studēbat. Poscit calceōs, ascendit locum ex quō māximē rēs illa mīrābilis cōspicī poterat. Oriēbātur nūbēs (incertum erat ex quō monte – postea Vesuvium fuisse cognitum est), cuius fōrma quasi arbor altissima ac lātissima vidēbātur. Avunculō meō, ut doctissimō virō, hoc magnum vīsum est propiusque nōscendum. Iubet nāviculam parārī, mihi permīsīt ut sēcum venīrem; respondi ‘mē litterīs studere malle’ – et forte ipse mihi dederat quod scrīberem.

Mīsēnum -ī *n* = oppidum  
Campāniae maritimum

Ēgrediēbātur domō, cum epistolam accēpit Rectīnae, quae imminentī perīculō perterrita erat, nam vīlla eius sub monte iacēbat nec ulla fuga eī erat nisi nāvibus; ōrābat ‘ut sē ex tantō perīculō ēriperet’. Vertit ille cōsiliū: nāvem longam cōnsendit ut auxilium ferret nōn Rectīnae modo, sed multīs – erant enim frequentēs incolae illius ōrae amoenissimae. Properat illūc unde aliī fugiunt rēctumque cursum in perīculum tenet sine metū!

Iam cinis in nāvēs cadēbat, iam etiam nigrī lapidēs igne frāctī. Dubitāns paulum an cursum flecteret ac reverterētur, mox gubernātōrī, quī eum monēbat ut ita faceret, “Fortēs” inquit “fortūna iuvat: Pompōniānum pete!” Stabiīs erat ille, ibi omnēs rēs suās in nāvēs tulerat parātus ad fugam sī contrārius ventus caderet. Quō tunc avunculus meus secundissimō ventō vectus, complectitur amīcum perterritum, cōnsōlātur, hortātur, utque timōrem eius suā tranquillitāte minueret, sē in balneum dūcī iubet; lautus accubat, cēnat...

cinis -eris *m* = sordēs  
quae igne relinquuntur  
lapis -idis *m*

Iam ē Vesuviō monte plūribus locīs ignēs lūcēbant. Ille dīcēbat ‘vīllās ab agricolīs terrītīs dēsertās ārdere’. Tum quiēvit – vērissimō quidem somnō! Sed mox excitātus est, cum ob cinerem extrā cubiculī iānuam cadentem vix exīre posset. Omnēs dubitābant utrum sub tēctō manērent an sub caelō versārentur. Nam tremente terrā tēcta hūc illūc movērī vidēbantur, at sub caelō cāsus lapidum metuēbātur. Iam illīc nox fuit omnibus noctibus nigrīor. In lītus ēgredī cōstituērunt, ut aspicerent, num mare nāvēs admitteret, sed adhūc mare turbidum ventusque adversus erat. Ibi, super strātā vestem cubāns semel atque iterum avunculus meus frīgidam aquam poposcit exhausitque. Cum duo servī eum sustinērent, surrēxit, et statim cecidit, āēr enim tam crassus factus erat, ut spīrāre nōn posset. Māne corpus eius mortuum inventum est integrum et opertum veste quā indūtus fuerat.

ārdere = igne cōnsūmī

Interim ego et māter Mīsēnī erāmus – sed hoc nihil ad rem; nec tū aliud quam dē exitū eius scīre voluistī. Fīnem ergō faciam. Valē!”